

ut infamiæ nota , quam Principes contraxisse videbantur , 1551
quod Lantgravium carceribus minime traditum iri se se ob-
strinxerant , leventur , ulti custodiæ se ipsos mancipaturos
affirmant : cumque nihil impetrassen , indignabundi discesse-
re , & consilia de bello adversus Cæfarem iniere .

His fluctibus christiana republica jactata , unum tantummo-
do Ferdinandum Romanorum Regem lætiori vultu fortuna a-
spexit , atque ei vix speranti Daciæ regnum detulit . Eam rem
quoniam inter Principes , cum quibus latissimos fines Veneti
habent , acta est , & ob varia , quæ contigere , memoratu di-
gna habetur , brevibus perstringendam duxi . Georgius , Var-
dini Episcopus , vir cuculatus , consilia de Dacia ad Ferdinan-
dum transferenda (ut antea scripsimus) agitabat . Ea cum
Suleimano innotuissent , ne opportunam admodum provinciam
amitteret , Isabellam Reginam a Georgio divellere aggressus ,
ingentibus promissis onerat : Stephano filio Regia corona præ-
cincto , Dacia non modo potiri permissurum , sed Budæ , ac
Pannoniæ , quas possidebat , ditionum imperium concessurum .
Mulier , mutata sententia , Suleimano accedit ; subsidia petit ,
quibus a tradenda Ferdinando provincia Georgius deterre-
tur . Sigismundi fratrī , Sarmatiæ Regis , opem implorat , quam
maximas potest copias cogit . Ad eam primores Daciæ acce-
dunt ; Georgius Ferdinandi auxilia solicitat ; Joannes Baptista
Castaldus Neapolitanus , cui Dacici belli administrandi munus
Rex detulerat , cum decem millium equestrium , ac pedestrium
copiarum numero in regni fines se infert . Septimo idus ju-
nias Daciam ingresso , Saxonum , Siculorum , & Bassianorum
legati (ex tribus enim gentibus Dacia constat) obviam facti ,
libertatem , Stephanique Regis pueri dignitatem commendant ,
in Romanorum Regis potestate futuros pollicentur . Isabella ex
Alba Julia , quod caput regni est , se in munitum oppidum
recipit . Idem Petrovicus una cum Marchione Balasso efficit ,
frustra adversus Georgium cum militibus , quos contraxerant ,
fortunam experti . Turcæ , qui prope Temisvarium magnas co-
pias coegerant , atque equitatu regios superabant (quod vix
credibile de gentis solertia videtur) torpore correpti , nil mo-
liendo substitere ; ut Julianum Georgius nullo negotio ditione
reciperet . Repentina hac rerum mutatione ad concordiam cum

*Germani
Principes
consilia de
bello adver-
sus Cæsarē
inuent.
Dacicarum
rerum nar-
ratio.*